

## IV

### [De grammaticae]

1. Primus in eo qui scribendi legendique adeptus erit facultatem grammaticis est locus. Nec refert de Graeco an de Latino loquar, quamquam Graecum esse priorem placet : utriusque eadem uia est. 2. Haec igitur professio, cum breuissime in duas partis diuidatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittit. 3. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus iudicium est : quo quidem ita seuere sunt usi ueteres grammatici, ut non uersus modo censoria quadam uirgula notare, et libros, qui falso uidentur inscripti, tamquam subditos summouere familia permiserint sibi, sed auctores alias in ordinem redegerint, alias omnino exemerint numero.

4. Nec poetas legisse satis est : excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed uerba, quae frequenter ius ab auctoribus sumunt. Tum neque citra musicen grammaticae potest esse perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit, nec, si rationem siderum ignoret,

IV. *Titulus* : grammaticae A : grama- BH || grammaticae A : -ica BH

1. utriusque ABH : utrimque *a*
2. promittit B : -at AbH || loquendo AB : -di H
3. enarrationem A : et narra- B et ra- H || praecedet A : praecedet BH || quo Ab : quod Bn uel quod BgH || subditos BH : subito A || familia ABH : familiariter *b*
4. citra BH : extra Ab